

hoc cum illo debet agere: vt etiam ipse toto corde & tota anima diligat Deum. Alio modo intelligitur, vt hoc facias proximo, quod tibi vis fieri: quod autem tibi non vis fieri, ei non facias. Duo namque sunt erga proximi dilectionem seruanda, vt beneficij impensione foueatur, & nulla malitia laedatur. Notandum autem est, quod nequaquam proximum recte potest diligere, qui prius deum veraciter non diligit. Amore enim Dei firmata debet esse dilectio proximi. Nemo quippe potest fideliter amicus hominis esse, nisi prius ipse sit veritatis. Ideo inter quos non est diuinarum rerum cōsentio; nec humanarum plena esse poterit. Necessē enim est, vt aliter quam oportet, humana existimet, qui diuina contemnit. Nec hominem recte diligere nouit: quisquis eum recte non diligit, qui hominem fecit. Illud etiam sciendum est, quod qui se non nouit diligere, vtique nec proximum. Valdeque timendum est, ne ipsum decipiat, sicut & se. Si te interrogem ait quis, vtrum diligas te, respondes quod diligis. Quis enim se odit? Audi Psal. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Quomodo uolebas tibi committi proximum, vt diligeres eum tanquam te, o homo, qui perdis te? Si enim tu ipse te diligis, vt perdas te: licet profecto perditurus es eum, quem diligis sicut te. Nolo autem, vt hoc modo quicquam diligas, uel solus peri, aut corrige dilectionē: aut respice tuam caritatem. Solerter & hoc quoque in hac dominica præceptione considerandum est: quod non dixit, Diligas proximum tuum plus quam teipsum, sed sicut teipsum. Videtur enim plus quam teipsum proximum uelle diligere: qui curationi propria non sufficiens, curam aliorum cupit assumere. Quare tu homo, quisquis talis es: cui firma satis propria salus nodum est, cui caritas adhuc aut nulla est, aut ad eō tenera, atque arundinea, quod omni statui cedat, omni redat spiritui, omni circumferatur doctrinæ uento, cui tanta est caritas, vt ultra mandatum quidem diligas proximum plus quam teipsum: & rursum tantilla, vt contra mandatum fauore liquefcatur, pauore deficiat, perturbetur tristitia, auaritia trahatur, pertrahatur ambitione, suspitionibus inquietetur, conuitiis exagitetur, curis euisceretur, honoribus tumeat, liuore tabefcat. Tu inquam in propriis teipsum sentiens minus idoneum ad correctionem, qua nunc dementia, quæso, aliena curare, aut ambis, aut acquiescis? Audi quid de hac tanta & tam uigili caritate dicat scriptura. Noli, inquit, esse nimium iustus. Et dominus. Quid prodest homini, si mundum uniuersum lucretur, animæ uero suæ detrimentum patiatur? Sufficit qui euismodi est, si proximum sicut teipsum diligat, ne timore se conterat, ne proximum iuuando se deserat, ne alios erigens cadat. Tertio modo docemur in scriptura proximum sicut nos ipsos diligere exemplo amoris membrorum corporis humani. Primum in hoc, quod unum membrum non inuidet alij membro: licet non habeat idem officium. Non omnia nanque eundem actum habent membra: nec tamen sibi inuicem inuidet: sic nec debet aliquis inuidere proximo suo habenti gratiam, quam ipse non habet. Inuidia diabolicum uictum est: & habet matrem suam, scilicet superbiam. Suffoca matrem, & non erit filia. In hoc etiam docemur, quod unum membrum non sibi appropriat aliquod officium, sed omnibus illud communicat gratis: sic &

nos. Nam multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra. Similiter cum unum membrum ab alio laeditur, non se vindicat, sic debet esse inter fideles, sicut scriptum est, Nulli malum pro malo reddentes. Item sicut membra infirmiora abundantius honorantur: sic & nos non debemus despiciere eos, qui infirmi uidentur: prout dicitur, honore inuicem preuenientes. Non enim est ternus amor, nisi se mutus præueniat obsequis. Instruimur quoque in hoc, quod si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, siue si gloriatur unum membrum, congaudent cetera membra. Sic fideles debent gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Datur in super exemplum istud, quia unum membrum reputat ubi fieri, quod fit alteri, siue bonum, siue malum: sic nos quod aliis irrogatur, nobis agi existimare debemus. Vnde ipse dominus Iesus Ecclesiæ caput dicit: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Alio quoque modo docemur, quia sicut unum membrum laioni se exponit pro alio: sic & nos agere debemus imitates dominum Iesum qui passioni se exposuit: ictum quem genus humanum meruerat, super se suscipiens. Eodem modo prouocamur, quum uidemus quod cibum, quæ os recipit, aliis membris communicat: ita & fideles facere debent: unde Apostolus ait, Siue exhortamur pro uestra exhortatione & salute, siue consolamur pro uestra consolatione & salute. Illo uimiliter exemplo accendimur: quia uidemus unum membrum timere ab aliis separari: sic nihil debet tam formidare Christianus, quam separari a Christi corpore: ex quibus patet modus dilectionis, quam erga proximum habere debemus. Magna etenim uirtus proficiendi in Deum est hæc caritas mutua; quæ data est diuitibus pro gloria, pauperibus pro celsu, exulibus pro patria, imbecillibus pro uirtute, infirmis pro medicina, pro uita mortuis. Est enim eius suauissimus fomes, affectuosa sinceritas, & mutua obsequia, rerum honestarum crebra collatio, paritas uoluntatum, iugis & inuolabilis fides. Vera nanque dilectio tantum inter bonos oriri solet: inter meliores proficere, inter optimos uero ad perfectionem duci. Cuius perfectionem aperuit dominus, dicens: Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat pro amicis suis. Hæc est uictoria, hic terminus caritatis sanctæ, quæ in fructibus ligni uitæ quartum sortitur gradum: & est brauii consummata iustitiæ, & perfectionis præsidentium, qui non debent formidare pro grege animam ponere. Ad quam perfectionem uere in concussaque tunc perueniunt, quum prius per continentiam uirtutem omnibus se abdicauerit uoluptatibus: ne honoribus uel libertate irretiti, non quæ domini sunt, sed quæ sua querant, & efficiantur in sui contumeliâ etiam subditis inferiores: qui debent eos, sicut dignitate, ita & uirtutibus præcellere: & quoniam hæc sola uirtus eis non sufficit ad perfectionem: adhibenda est huic prudentiæ uirtus, quæ ordinate subditorum omnium disponēs studia ad Dei gloriam, eorumque profectum, & ipse prælidens Deo gratissimus efficiatur: iuxta illud: Si separaueris preciosum a uili, ut os meum eris, hominibusque commendabilis, sicut scriptum est. Gloria patris est filius sapiens. Cui tamen prudentiæ iungenda est iustitiæ, quæ constanter triuat uincitque: quod suu est: ne inordinata dissoluatur

Rom. 12.
Ibid.
1. Cor. 6.
Rom. 12.
1. Cor. 6.
Mat. 25.
2. Cor. 1.
Ioan. 15.
Prou. 17.

Laur. Iustin. d affe